

Naturae.

Naturae.

X. 850²

Naturae.

Plantae novae

Rossiae meridionalis

ex Asperifoliarum familia.

Auctore

C. F. Ledebour.

4/5250

4-x A
Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu

5250

1. *Anchusa Gmelini.*

A. *tota strigoso-hispida, foliis sublinearibus
acuminatis, racemis desfloratis elongatis,
bracteis lanceolatis, calycibus ultra me-
dium quinquefidis, corollae tubo laciniis ca-
lycinis duplo longiore.*

*Anchusa . . . S. G. Gmelin it. Tom. I. pag. 169.
Tab. XXXVII. Fig. 2.*

*Hab. in arenosis non procul a Spaskoi prope
Hypanin, ubi medio Junio frequentem legi;
— ad Tanain legit Gmelin mense Julio 2.*

*Radix (videtur perennis) fusiformis, cortice ni-
gricante obducta.*

*Caulis solitarius, erectus, strictus, bipedalis et
subinde altior, striato-sulcatus, inferne
simplex, cum ex axillis foliorum inferio-
rum non rami sed foliorum fasciculi (qui*

in ramos non elongantur) proveniunt, supra medium ramosus.

Folia linearia, unam vel vix duas lineas lata, acuminata, integerrima, radicalia 7 vel 8 pollices longa, utrinque tuberculato-strigosa; superiora sensim minora, supra tuberculato-strigosa, subtus glabra praeter costam medianam, marginem subrevolutum et apicem, qui etiam strigos.

Racemi in caule ramisque terminales; ramorum plerumque solitarii; caulis conjugati; ante anthesiu revoluti, demum stricti, valde elongati.

Flores pedicellati; pedicellis post anthesin calyce subaequalibus; bracteati; bracteis lanceolatis, pedicellis sesqui-vel duplo longioribus, obtusiusculis; inferioribus undique; superioribus ad marginem strigosis.

Calyces ultra medium quinquesidi, cum pedicellis hispidi; laciinis obtusis, carinatis; margine et carina strigosis; floriferi erecti, cylindrici; fructiferi nutantes, campanulati.

Corolla infundibuliformis; tubus albido-rubicundus, laciinis calycinis duplo longior; faux clausa fornicibus hemisphaericis, pilosis; limbus azureus, quinquepartitus; laciinis rotundatis.

Nuces quatuor, ovatae, rostellatae, lateri interiori basin versus detruncatae, reticulato-rugosae; rugis valde prominentibus; undique tuberculato-callosae.

Obs. Valde affinis Anchusae Agardhii mihi ignotae, cuius tamen specimina cum Gmelini iconе comparata celeb. Lehmann (Asperifol. nucif. pag. 243.) differre affirmavit.

2. *Lycopsis taurica.*

L. tuberculato-hispida, caulis erectis subsimplicibus, foliis integerrimis acutis; caulinis lanceolatis; floralibus ovatis; limbo corollae aequalis longitudine fere tubi.

Hab. locis siccioribus prope Karassubasar (in Tauria), ubi initio mensis Julii florentem legi. 4.

Caules ex una radice plures, erecti, stricti, spithamei, plerumque simplices, raro uno alterove ramo superne instructi, angulati, satis dense obtecti pilis brevibus patentibus, quibus intermixtae sunt setae elongatae, rariores, rigidae, angulo recto patenties, tuberculis insidentes.

Folia radicalia et caulina inferiora lanceolata, versus basin attenuata; floralia ovata; omnia sessilia; acuta, integerrima (nisi tubercula, quibus setae marginales insident, denticulos nominare velis), setoso-ciliata, utrinque, supra tamen magis, tuberculato-hispida, cum non solum setae in pagina superiori crebriores, sed etiam tubercula albida, quibus insident, majora sint; iisque

similia, quae in pagina inferiori ad marginem carinamque et versus apicem observantur.

Racemi conjugati, terminales.

Flores pedicellati; durante florescentia erecti, secundi; post anthesin alternatim distiche reflexi.

Calyces quinquefidi; laciniis aequalibus, tubo dimidio brevioribus, ovato-lanceolatis, acuminatis; floriferi cylindrici, piloso-hispidi; fructiferi campanulati et — cum pili delapsi sunt — glabriores.

Corolla aequalis, purpurea; tubo longitudine calycis, versus saucem paullo incrassato, pallidiori; fauce pilosa, limbo campanulato, longitudine tubi.

Nuces quatuor, ovatae, versus apicem compressae, fuscae, punctis albis ad lentem conspicuis adspersae, inferne circulo tumido cinctae, reticulato-rugosae.

3. *Lycopsis micrantha.*

L, tota hirta, caulis ramosissimus, foliis oblongo-lanceolatis acutis denticulatis, calycibus quinquepartitis, tubo corollae aequalis medio ventricoso limbo explanato triplo longiore.

Hab in Tauriae arenosis maritimis; legi initio mensis Julii prope Feodosiam. ♂?

Caulis ramosissimus, divaricatus, undique setis longis, albicantibus, patentissimis, tuberculis insidentibus dense obtectus.

Folia sparsa, sessilia; caulina et ramea inferiora oblongo-lanceolata, acuta, ob tuberculata marginalia, quibus setae (ciliorum ad instar) insident, denticulata, utrinque tuberculato-hispida; setis rigidissimis; floralia (sive bracteae) sensim breviora, angustiora et acutiora, caeterum caulinis simillima.

Racemi plerumque conjugati, durante florescentia valde elongati caulem ramosque terminant.

Rhachis flexuosa, superficie caulis.

Flores ante anthesin approximati, post anthesin distantes, directione varii; partim axillares, partim intrasoliacei; pedicellati.

Calyces ad basin usque quinquepartiti; laciniis aequalibus, lanceolato-linearibus, acutis, utrinque hirsutissimis, in pagina interiori tamen basi glabris, post anthesin elongatis et rarius erectis, plerumque patentissimis, vario modo flexis.

Corolla longitudine fere calycis floriferi, hypocarteriformis, tubo parum curvato, in parte superiori sordide ochraceo, medio ventricoso, saucem versus iterum contracto; fauce quinque pilorum fasciculis erectis coronata; limbo caeruleo, subquinquepartito; laciniis planis, rotundatis, tubo dimidio brevioribus.

Stamina quinque; filamentis brevissimis, ita ut antherae oblongae fere sessiles observantur in tubi corollae ventre.

Germina quatuor, fundo calycis affixa.

Stylus cylindricus, longitudine $\frac{2}{3}$ tubi corollae par.

Stigma capitatum.

Nuces quatuor, ovato-reniformes, latere exteriori superne carinatae, reticulato-rugosae, ad lentem granulatae, basi perforatae et circulo tumido cinctae.

Receptaculum (sive calycis fundus) post nucum delapsum scrobiculis quatuor notatum observatur, quibus membrana cyathiformis insidet pro recipiendis nucibus.

Obs. Medium tenet haec nostra planta inter Anchusas et Lycopsis; illis adnumerari nequit ob fornicum defectum; ab his recedit calyce profunde quinquepartito, in fructu quidem majori, laciis magis elongatis ac latioribus, non autem campanulato, inflato, nutante. Tamen his associare malui ob faucem fasciculis quinque pilorum coronatam et semina Lycopidum more basi circulo tumido cincta. — An potius cum Anchusa arvensi et variegata Lehm., quorum fornices rectius fasciculos pilorum nominandos censeo, quae etiam respectu calycis cum hac nostra conveniunt, proprium genus constitueret, cui forsitan Anchusa ovata Lehm. aliaeque species mihi ignotae jungendae essent?

4. *Onosma rigidum.*

(** pilis s. setis stellatis.*)

O. tuberculato-hispidum, caule basi ramosissimo, foliis lanceolatis floribusque erectis.

Hab. in lapidosis siccis Tauriae meridionalis; inter Jursuph et Nikitam mense Augusto florens legi. 4.

Radix lignosa, cylindrica, cortice fusco obducta.

Caules ex una radice plures, caespitosi, basi prostrati, ramosissimi, quorum pars infima perennis videtur.

Rami erecti, pedales circiter, foliosi, inferne simplices, superne iterum ramosi; ramulis axillaribus; undique obsiti fasciculis pilorum, quorum unus multo rigidior et longior, patentissimus, albus; reliqui adpressi.

Folia lanceolata; inferiora versus basin attenuata; acuta, sparsa, erecta, unciam circiter longa, undique piloso-hispida; pilis stellatis, tuberculatis insidentibus, qui in caule non inveniuntur.

Racemi in ramis ramulisque terminales, solitarii vel conjugati; ante anthesin revoluti; deinde erecti, stricti.

Flores pedicellati, erecti, bracteati; bracteis linearis-lanceolatis, hispidis, $\frac{2}{3}$ calycis longitudine.

Calyces ad basin usque quinquepartiti; laciis linearis-lanceolatis, acutis, bracteis sesquiallongioribus, superficie foliorum; hispiditate tamen densiori et flavicante.

Corolla pallide flava, calyce tertia parte longior, apicem versus paullulum incrassata,

ore quinquedentata; dentibus brevibus, obtusiusculis, margine revolutis.

Antherae e corolla paullulum exsertae, longitudine filamentorum, quibus medio affixae sunt.

Stylus corolla longior, filiformis, persistens; stigmate bilobo.

Nuces laeves, nitidae, cinereae, fusco-maculatae, rostellatae, subtriquetrae, extus convexiusculae, carinatae.

Obs. I. Ab. O. giganteo praeter alias notas differt: statura multo minori, foliis subcordatis nullis, floribus erectis. — O. erectum nostro affine videtur, sed diversum: 1) caulis simplicibus; 2) foliis linearibus, consertissimis; patentirecurvis; 3) corolla calyce duplo vel triplo longiori.

Obs. II. An huc forsitan O. echoioides d. humilis, ramosa, pilis caulis foliorumque albicantibus, corollis pallidis Bieb. Fl. taur. caucas. I. pag. 131?

Obs. III. Varietatem omnibus in partibus parum minorem in collibus prope Kertsch ad Bosphorum mense Julio florentem legi.

5.

Onosmatis stellulati duae varietates recententur et a Biebersteinio (Flora tauric. caucas. Tom. I. pag. 132.) et a Lehmanno (Asperifol. nucifer. descriptio Tom. II. pag. 364.) Varie-

tatiū, quae in Croatiae rupibus et Caucasi subalpinis crescere refertur, folia latiora, plana et pili minus conserti adscribuntur locc. cett. Croatica planta mihi ignota est, caucasicæ vero specimen coram habeo, prope Tiflin collecta, quae cum descriptione a Lehmanno data satis bene conveniunt, sed folia potius linearia quam lanceolata, et margine revoluta nec plana. — Varietatem β tauricam in Tauriae collibus cretaceis circa Sympheropolin et Karassubasar haud frequentem legi, quae pluribus notis a caucasica planta differt. Folia nimirum in speciminibus tauricis latiora et acutiora; radicalia vel caulum sterilium caulis floriferis dimidio tantum breviora, quae in varietate caucasica vix quartae parti caulis floriferi paria sunt, plerunque plana; superiora basi dilatata, subovata, margine subreflexo. Flores majores, magis distantes. Corollae calyce triplo vel quadruplo longiores. Stamina corolla breviora. Color totius plantæ incano-cinerascens, qui in caucasica viridis. Setarum stellulae in illa consertiores et tuberculis multo majoribus insidentes. — An specie diversa?

6. *Onosma setosum.*

(** Pilis s. setis solitariis.)

O. tuberculato-hispidum, setis patentissimis, caule superne ramoso, foliis subtus glabris

ad costam hispidis; inferioribus superne dilatatis; superioribus ovatis, nucibus reticulato rugosis.

Hab. in plantiebus caucasico-caspicis et prope Astrachan, unde ab am. Fr. Blum, M. Dr. accepi.

Radix simplicissima, perpendicularis, cortice violaceo obtecta, multiceps.

Caules subpedales, erecti, stricti, foliosi, inferne simplices a medio ad apicem ramosi, undique setis albis, rigidissimis, patentissimis, tuberculis insidentibus obsita.

Rami patentes, axillares, floriferi, foliosi, superficie caulis.

Folia sparsa, discolora, in pagina superiori et ad marginem revolutum tuberculis setiferis hispida; subtus glabra, costa media tamen tuberculato-hispida; radicalia et caulina insima duas vel tres lineas longa, versus basin valde attenuata, apice dilatata, obtusa; caulina superiora lanceolata; subalata ovata, acuta; floralia ovata, acuminata, plana.

Racemi in caulis et ramorum apice pedunculati, solitarii vel conjugati ante anthesin revoluti,

Flores pedicellati, ante anthesin nutantes, approximati; dein erecti, distantes.

Calyces quinquepartiti; lacinias lanceolatis, acutis, praesertim ad marginem et costam

medianam hispidis; pilis erectis; fructiferi elongati.

Corolla flava, calyce sesquilongior, versus apicem paullulum ampliata, ore quinquedentata; dentibus brevissimis, reflexis.

Antherae subinclusae, longitudine filamentorum. Stylus exsertus, calyce florifero duplo longior, persistens; stigmate bilobo.

Nuces quatuor (quarum duae plerunque abortiuntur), triquetrae, latere exteriori a medio ad basin usque oblique truncatae, acutae, ab apice ad medium carinatae, rugosae, nitidae, fuscae.

Obs. O. echioïdi et tinctorio affine; ab utroque autem differt nucum forma, superficie et magnitudine; sunt enim duplo maiores illis O. echioïdis. — Flores magnitudine illorum O. echioïdis, duplo certo maiores, quam in tinctorio.

7. *Onosma polyphyllum.*

(** pilis s. setis solitariis.)

O. sericeum; pilis prostratis; caulis simplicibus, caespitosis, foliis lanceolato-linearibus enerviis margine revolutis, corollis clavatis, ore quinquedentato.

Hab. in Tauriae meridionalis rupestribus, praesertim calcareis. — Florens legi ad finem mensis Julii. 2.

Caules plures ex una radice, densum caespitem efformantes, sesqui - vel bipalmares, simplices, vel rarius uno altero rame instructi, in parte infima foliorum marcidorum (anni praeteriti) rudimentis obsiti, ad medium usque dense, supra medium parce foliosi, undique pilis longis, singulatim tuberculis minutis insidentibus albicantes.

Folia erecta, duos vel tres pollices longa, linearia vel lanceolato-linearia, acuta, basin versus attenuata; basi ipsa tamen dilatata; margine revoluto, versus basin ciliato; utrinque albosericata; inferiora confertissima; superiora sensim remotiora, e basi latiori versus apicem attenuata.

Racemi terminales, conjugati, multiflori, ante anthesin revoluti.

Flores pedicellati, erecti, approximati, bracteati; bracteis foliis superioribus simillimis, versus racemi apicem sensim minoribus.

Calyces inferiores longitudine circiter bractearum; superiores iisdem longiores; quinquepartiti; lacinias linearibus, septem lineas longis, pedicellisque hirsutis; hirsutie flavicanti, patula.

Corolla clavata, sulphurea, calyce $\frac{1}{3}$ longior, ore quinquedentata; dentibus ovatis, acutiusculis, subreflexis.

Filamenta subulata, infra medium tubi corollae affixa, antheris sesquilonigiora.

Antherarum apex exsertus.

Stylus staminibus longior; stigmate bilobo.

Nuces (immatureae) ovatae, triquetrae, rostellatae, glabrae, nitidae.

Obs. Ab omnibus Onosmatis speciebus, a me visis, foliis confertissimis et — praeter O. sericeum, a quo tecto habitu abhorret — superficie sericea candicante diversissimum. Ab O. simplicissimo praeterea differt: foliis multo angustioribus; bracteis lanceolatis, nec cordatis; corollis clavatis, calyce $\frac{1}{3}$ longioribus, nec ventricosis, ore coarctatis, calyce duplo longioribus.
